

rissimis fontibus, Christi philosophiam, hauriebat. O felicem itaque Hieronymi secessum! O vere beatam solitudinem! qua nullum vitæ genus sibi jucundius fuisse ipse alicubi pronuntiavit, nec Romanas amplius delicias desideravit, cum sibi non in secessu versari, sed ipsis angelorum choris interesse videretur, nec Ciceronianus deinceps magis quam Christianus (nocturnis pro tribunali divino plagis emendatus) esse, vel secularibus studiis plus nimio indulgere constituit.

VIII.

AD Magnum denique **BERNARDUM** primū Abbatem Claravallensem oculos vertat, quisquis egregiū Sacræ Sapientiæ huius studiosum, ac Literatæ pietatis exemplar intueri desiderat, eiusdemq; memorabilem à profanæ scientiæ vanitate, ad Christianæ Philosophiæ dogmata consideret introductionem, Insignes ille in Literarum studiis fecerat progressus, cunctosque ævi sui viros eruditos doctrinâ superaverat, imò verò (Guilielmo Abbate in vitæ historia scribente) Mundum eiusque Principem exterius sibi multa, magnas res, spes
ma-